

ret viro, dimissa uxore adultera, ducere aliam, cogeretur ad perpetuam, illa vivente, continentiam; ergo. 3<sup>o</sup>. Adulterium tollit unitatem illam carnis, in qua sita est natura matrimonii, juxta illud Gen. 2. *erunt duo in carne una*; ergo.

*Ad 1<sup>um</sup>. R. D.* Est subrogatum quoad thorum et cohabitationem tantum *C.* quoad omnia, etiam quoad vinculum *N.* Repudio legis veteris subrogatum est divortium quoad solam separationem a thoro et cohabitatione, et quidem ut illa perpetua esse possit, ex sola fornicationis causa; quoad potestatem vero ducendi uxorem aliam, priore dimissa, abrogatum est a Christo repudium.

*Ad 2<sup>um</sup>. R. 1<sup>o</sup>. D. Maj.* Neminem cogit directe et per se *C.* indirecte, et per accidens *N.* Sic supposito voto castitatis, cogit lex Christi ad continentiam. Atque ita supposito matrimonio legitimo contracto et consummato, ex ordinatione Christi prorsus indissolubili cogitur conjux ad continentiam, si nolit cohabitare adulteranti. Hinc

*R. 2<sup>o</sup>. D. etiam min.* Cogere absolute ad continentiam perpetuam *N.* ex hypothesi, quod cum parte adultera libere nolit reconciliari, eique cohabitare *C.* Si enim nolit servare continentiam, potest se reconciliare cum parte adultera, eique condonare crimen; quod ut fiat, suadent SS. Patres ex S. Paulo.

*Ad 3<sup>um</sup>. R. N.* Essentiam matrimonii consistere in illa carnis unitate; hæc enim tantum proprietas est, et velut effectus fluens ex matrimonio jam constituto. Sed, ut diximus cap. 1. essentia matrimonii in facto esse consistit in illo vinculo perpetuo, quod ex consensu interno et pactione externa resultat. Deinde, permisso gratis, ex unitate illa matrimonium perfici; non tamen sequitur, solvi quoad vinculum.

402. *Obj. VI.* in specie cum Launoio. Saltem male dicitur, doctrinam de indissolubilitate matrimonialis vinculi in casu adulterii alterius conjugum esse dogma fidei definitum cit. can. 7. Tridentin. *Prob. 1<sup>o</sup>.* Quia canon solum Lutheranos ferit, qui erroris incusabant Ecclesiam, quod doceret, non posse dissolvi matrimonium, supposito licet adulterio; ergo. 2<sup>o</sup>. Ut refert Cardin. Pallavicinus Concilii historicus L. 22. cap. 4. Concilium canonem primo conceptum cum anathemate contra eos, qui dicerent dissolvi posse conjugale vinculum ex causa adulterii, postea ad petitionem Oratorum reipublicæ Venetæ in gratiam Græcorum reipublicæ subditorum immutavit ac temperavit, omissoque anathemate, canonem, qualis nunc extat, protulit; ergo Concilium non intendit definire hanc controversiam.

*R. N. Ant.* cum communi Theologorum, teste Tournelio, consensu. Ratio est, quia licet Concilium in canone sic reformato anathema non ferat aperte in Græcos, sed Lutheranos; declarat tamen, non errare Ecclesiam, cum ita doceat *juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam*; ac proinde affirmat, doctrinam suam et Ecclesiæ de indissolubilitate matrimonii ob adulterium esse doctrinam Evangelicam, consequenter caput fidei; quale haud dubie facit doctrina Evangelica. Deinde ex canone illo sic bene arguitur: Non errat Ecclesia, cum docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, non posse dissolvi matrimonium ex causa adulterii unius conjugum; ergo errat contra Evangelicam et Apostolicam doctrinam, qui asserit posse dissolvi. Consequen-

tia patet; non enim datur medium inter errorem et veritatem; sed dogma aliquod aut verum, aut falsum est. Unde

*Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. N. Cons.* ob modo dicta.

*Ad 2<sup>am</sup>. R. D.* Immutavit canonem, quoad modum et sonum verborum tantum, ut inquit Pallavicinus cit. *C.* quoad rem et significationem *N.* Ita Pallavicinus ipse ibid. n. 30. reprehendens Suavem, qui scripserat, mutationem canonis *aeream, et utilitatis effectusque vacuum esse*, inquit, non solum discrimen inter utrumque canonem est, *quamvis subtilius, sed etiamsi non inesset, convenientius fuisset Reipublicæ satisfacere, ubi per eam merus sonus, non autem significatio variaretur.* Recte vero dixit subtilius esse discrimen inter utrumque canonem, quia licet in canone, qualis nunc extat, non dicat Synodus explicite doctrinam, quam tradit, esse fidei, hoc tamen verbis æquivalentibus sufficienter adstruit et docet.

#### ARTICULUS IV.

AN ET QUO JURE PROFESSIO RELIGIOSA DIRIMAT MATRIMONIUM RATUM, ETIAM QUOAD VINCULUM?

403. Non competere professioni religiosæ vim ejusmodi circa vinculum matrimonii, quod consummatum est, certum supponimus, et facile ex dictis art. præc. evincitur; tum inde, quod nunquam Ecclesia eam dissolutionem vel agnoverit, vel passa sit. Solum de rato hic quæritur. Negant Novatores ultimi vim talem inesse professioni religiosæ, dirimendi vinculum matrimonii rati; Catholici contra, tametsi eam omnes professioni religiosæ attribuant juxta Tridentini definitionem, et semper antea tribuerint, solum in assignanda radice vis illius dissentiant. Hanc alii ex jure ecclesiastico derivant, sed antiquissimo ab Apostolorum temporibus introducto. Nomine vero professionis religiosæ ea solum venit professio, quæ in Religione approbata fit, quo etiam pertinet emitti solita a quorundam Ordinum Militarium Equitibus, qui ex instituto suo cœlibatum et continentiam perfectam profitentur, et vere religiosi habentur, veluti Equites Melitenses, S. Mariæ Teutonicorum, etc. Secus autem de iis est, qui castitatem dumtaxat conjugalem profitentur, ut Equites Alcantaræ, S. Jacobi, Mortesiæ, Calatravæ, etc. horum enim vota cum matrimonio compossibilia sunt, adeoque illud non solvunt.

404. *Dico I.* Matrimonium, quod est ratum tantum, per solemnem alterius conjugum in Religione approbata professionem, dirimitur quoad vinculum. Conclusio est de fide, et definita in Trid. Sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit Matrimonium ratum et non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Idem vero multo ante Tridentinum tempore declaravit Innocentius III. qui summum Pontificatum adiit anno 1198. et mortuus anno 1216. c. *Ex parte tua*, de convers. conjugat. tribuens relicto in seculo conjugii facultatem ad secunda vota transeundi. Et Alexander III. in seculo XII. c. *Ex publico*, et c. *Verum*, de convers. conjug. ubi et in priore hanc rationem affert, quod ante consum-



mationem conjuges nondum sint una caro; verba enim Scripturæ: *erunt duo in carne una*, quæ indissolubilem conjugalis vinculi firmitatem efficiunt, de solo matrimonio consummato debere intelligi.

Frustra excipiunt hæretici, ita successu temporis constitutum fuisse a Rom. Pontificibus in Monachorum gratiam. Nam 1º. Antiquissimam hanc praxin fuisse Ecclesiæ et ab Apostolorum prope temporibus acceptam, dabit conclusio sequens. 2º. Si obstitisset speciale jus divinum; nunquam ausi fuissent Pontifices id asserere; hæretici id aliquando laudatis Pontificibus vertissent crimini; opposuisset se aliquis ex tot sanctis, doctisque præsulibus, aut Synodus aliqua; sed nihil tale unquam contigit.

405. *Obj.* At S. GREGORIUS M. L. 9. epist. 39. (al. L. 11. epist. 45.) sunt, inquit, qui dicunt *Religionis causa conjugia debere dissolvi*: verum *sciendum est, quia, etsi hoc lex humana concessit, divina lex tamen prohibuit*. Et ALEXANDER III. c. *Præterea*. de conv. conjug. *Dicimus, quod, nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuo castitatem servare promiserit, vir potest et debet de monasterio revocari, in quo professionem emiseral; ergo.*

R. Uterque loquitur de matrimonio consummato. S. GREGORIUS enim, ut responsum suum probet, utitur illis verbis Gen. 2. *erunt duo in carne una*; additque hoc absurdum alioquin sequi: *unam eandemque carnem ex parte transire ad continentiam, et ex parte remanere in pollutione*: atqui una caro sunt primum per consummationem. ALEXANDER autem in c. *Verum* sequenti, loquens expresse de matrimonio *rato tantum*, contrarium asserit; ergo in priore, cum ibi ratum non exprimat, de consummato loqui censendus est. Adde, textum illum Alexandri sumptum esse ex Conc. Lateran. in Append. p. 3. c. 4. sub eod. Pontifice celebrato. Hic verò de matrimonio consummato sermo est, ut patet ex propositione facta Pontifici; an vir ingressus monasterium debeat *ad uxoris thorum* revocari; et responsione Pont. sub allata conditione ex ratione: *quod fuerint una caro effecti...*

406. *Dico II.* Vis dirimendi matrimonium ratum professioni religiose concessa, probabilius 1º. non ex jure naturali; 2º. nec divino; 3º. sed ex jure ecclesiastico, antiquissimo et ab Apostolorum temporibus introducto immediate descendit.

*Prob. 1ª p.* Quia vinculum professionis stare potest cum vinculo matrimonii, ut in eo patet, qui post consummationem matrimonii de uxoris consensu profitetur in Religione; nec tamen inter eos dirimitur conjugale vinculum; ergo professio religiosa non potest ex natura rei dirimere vinculum matrimonii ante ejus consummationem; non enim ex natura rei unum vinculum dirimit alterum, nisi ob impossibilitatem, quam habet vinculum superveniens respectu alterius. Deinde ideo juxta adversarios professio religiosa jure naturæ dirimit matrimonium ratum, quia est mors spiritualis, vel civilis; proinde sicut mors naturalis jure naturali solvit vinculum carnale matrimonii consummati; ita mors civilis vinculum matrimonii rati; quæ ratio est Doctoris Angel.: atqui ratio hæc nihil evincit: 1º. Quia est tantum congrua, et ut talis allata a S. Thoma. 2º. Quia professio est mors quædam metaphorica; ergo non debet esse quoad omnia similis morti naturali, imo

in præcipuo effectu dissimilis est; stare enim potest cum matrimonio consummato, quocum tamen mors naturalis non stat, cum hæc solvat omnia. 3º. Quia professio est mors civilis jure tantum ecclesiastico; quatenus ab hoc professus redditur incapax domini, matrimonii contrahendi et in ordine ad alios effectus civiles. 4º. Mors spiritualis dicitur; quia per eam repudium datur vitæ seculari; sed, non obstante hoc repudio, stat cum professione vinculum matrimonii consummati; ergo et rati stare potest, attenda præcise natura rei.

*Prob. 2ª p. 1º. negative.* Quia ex nullo Scripturæ textu habetur, quod ea vis professioni ex jure divino insit. Quod si quis ad traditionem recurrat; equidem perpetuum in Ecclesia traditionem aliquam vel praxin agnoscimus in præsentii controversia; verum num jus illud traditum divinum sit, an ecclesiasticum in primis temporibus introductum, hoc illud ipsum est, quod quaeritur; ecclesiasticum autem esse, evincunt rationes sequentes, et

*Prob. 2º. positive.* Si professio religiosa vi juris divini dirimat matrimonium ratum; igitur vel quia est status perfectionis; vel propter emissum castitatis votum; vel propter solemnitatem: sed nullum ex his dici potest: *non primum*; nam etiam susceptio ordinis sacri suscipientem in statu perfectione constituit; nec tamen ordini jure divino ea vis inest, solvendi matrimonium ratum. Idem est de votis simplicibus in Societate. *Non secundum*; alioquin enim omni voto castitatis ea vis ex jure divino competeret, quod falsum esse patet in conjugibus mutuo castitatem voventibus.

*Nec dicas*: votum emitti debere in religione approbata, quale non est illud conjugium. Nam 1º. vota simplicia Societatis sunt vota emissa in religione approbata, et vere religiosum efficiunt juxta Bullam Gregorii XIII. *Quanto fructuosius* anno 1582. Cal. Febr. et Bullam *Ascendente Domino* 1584. 8. Cal. Jun. et tamen ex jure neutro, h. e. nec naturali, nec divino, hanc vim obtinent. 2º. Quod religio una approbata sit, non alia, immediate ex solo jure ecclesiastico est. *Non tertium*; quia voti solemnitas est præcise juris ecclesiastici ex c. *Unico* de voto et voti redempt. ubi: *Nos igitur attendentes*, inquit BONIFACIUS VIII. *quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*; ergo et solo jure ecclesiastico professio religiosa eam vim sortitur.

*Prob. 3ª p. 1º.* Quia aliud jus nullum superest. 2º. Professio in religione approbata jure solum ecclesiastico dirimit matrimonium contrahendum; ergo etiam tantum ita dirimit matrimonium ratum. *Prob. Cons.* nam si jure divino positivo dirimeret matrimonium contractum; a fortiori eodem jure contrahendum dirimeret. Igitur maxime *probatur Ant. ex c. Unico* cit. ubi Pontifex tradit 1. votorum solemnitatem ex sola Ecclesiæ constitutione ortum habere; 2. matrimonium contrahendum per illud solum castitatis votum dirimi, quod fuerit solemnizatum per susceptionem sacri ordinis, vel professionem in religione a Sede Apostolica approbata; ergo tantum jure ecclesiastico. *Conf.* Quod olim professio religiosa non dirimeret matrimonium subsequens, ut constat can. *Si qua virgo*. 22., can. *Quotquot*. 24., et can. *Virgines*. 25. caus. 27. q. 1. ubi virginibus *saceris*, quæ post votum continentiae nubunt, indicitur quidem pœna; non tamen separari jubentur; non autem nunc immutata professionis natura est; et quod nunc professio matrimonium contrahendum dirimat; hoc ei a jure ecclesiastico accessit.



Jus vero hoc antiquissimum esse, nec posterioribus seculis primum inventum a Pontificibus in Monachorum gratiam, ut criminantur hæretici, probatur a praxi Ecclesiæ etiam eorum seculorum, quibus fides et Ecclesia, ipsorummet hæreticorum suffragio, incorrupta floruit. Sic igitur de S. Thecla S. Pauli discipula refert S. EPIPHAN. hæ. 78. (opp. t. 1. p. 1048. C.) quod in Paulum cum incidisset, *pactas nuptias dissolverit... terrena illa contempserit, ut cælestium compos esse posset, scilicet continentiam proficundo pro ratione illius temporis.* Idem allegat S. AMBROS. L. 2. de Virgin. c. 3. (opp. t. 2. p. 167. A.) *Thecla copulam fugiens nuptialem... naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit.* Imo Faustus ipse Manichæus illud Theclæ facinus protulit apud AUG. L. 30. cont. Faust. c. 4. dicens: *Paulus Theclam oppignoratam jam thalamo in amorem sermone suo perpetuæ virginitatis incendit: tam notum erat hoc omnibus: nec contradixit AUG. sed inde contra Manichæos inferebat tantum, virginitatem præferri nuptiis.* Simile AUGUSTINUS memorat de duobus militibus L. 8. Conf. c. 6.; de virgine Gregoria S. GREGOR. M. L. 3. Dial. c. 4. *eam constitutis jam nuptiis in Ecclesiam fugisse, et sanctimonialis vitæ conversationem cum quæreret, sponsum meruisse in cælis, quod sponsum fugisset in terra; de Leobardo, quod rupto nuptiali fœdere factus monachus, GREGOR. Turonensis L. de vitis Patrum c. ult. Plura referunt alii.*

*Nec dicant hæretici 1º. Eos deserendo sponsas, et similiter has deserendo sponsos, non ideo laudabiliter egisse. 2º. Nondum inde sequi, quod probandum maxime, per transitum ad cœlibatum, vel vitam monasticam solum fuisse tunc in Ecclesia vinculum matrimonii rati, ut relicto in seculo conjugii liceret transire ad novas nuptias. 3º. Videntur tantum fuisse sponsalia de futuro. Nam contra 1º. est, quod ideo laudentur a cit. SS. Patribus. Contra 2º. quod utantur verbis solutionem vinculi exprimentibus: *pactas nuptias dissolvit: rupto nuptiali fœdere, etc.*; ergo relictus factus est liber, ut ante fuerat. Contra 3º. quod iidem modi loquendi non patiantur explicationem hanc: *pactæ nuptiæ; copulam fugiens nuptialem; oppignorata jam thalamo, etc.* Atque hæc in hæreticorum gratiam maxime. Nunc*

407. *Obj. cum aliis.* 1º. SS. Canones vim hanc professioni religiosæ non addunt, sed ei jam aliunde competere supponunt, sive non condunt jus novum, sed constitutum declarant, veluti can. *Desponsatam* caus. 27. q. 2. ergo est divinum. 2º. Ipsemet Alexander III. c. *Ex publico* cit. hanc professionis vim derivat *ex sacri interpretatione eloquii*; ergo. 3º. Tam matrimonium ratum, quam consummatum insolubilitatem habet a jure divino Matth. 19.; ergo nisi potestas solvendi matrimonium ratum sit concessa S. Pontifici, neutrum poterit dissolvere: atqui ex Scriptura non constat ipsi potestatem hanc concessam fuisse. 4º. INNOCENTIUS III. c. *Ex parte* cit. in concl. inquit: *matrimonium inter legitimas personas per verba de præsentem contractum, illis viventibus in nullo casu posse dissolvi; nisi forte secus fieret ex revelatione divina, quæ superat omnem legem, sicut a quibusdam Sanctis legitur esse factum.*

*Ad 1º. R. N. Cons.* Quia jus illud, quod canones dicuntur supponere, potest esse ecclesiasticum, licet non scriptum in decreto aliquo, sed tan-

tum traditum et praxi introductum Ecclesiæ; ergo non sequitur necessario esse divinum.

*Ad 2º. R. N. Cons.* Verba enim: *ex sacri interpretatione eloquii*, ut legenti patet, matrimonium consummatum respiciunt, ut sensus sit, juxta sacrum eloquium illa insolubilitas, qua Matth. 19. dicitur matrimonium nullo casu præter causam fornicationis dissolvi posse, de matrimonio consummato intelligenda est.

*Ad 3º. R. D. Ant.* Habent eandem insolubilitatem a jure divino *N.* diversam *C.* Etiam matrimonium ratum suam insolubilitatem a jure divino habet, non tamen absolutam ut consummatum, sed conditionatam, nisi dissolutionem illius gravis causa suadeat. Potest igitur Pontifex habita sufficienti causa ex universali potestate sua illud solvere; ex hac enim potest omnia, quæ ad promovendum cultum divinum, et animarum bonum vel sunt necessaria, vel, ut religiosa professio, admodum conducentia; nisi ubi forte ea potestas a jure divino specialiter restricta fuit, velut quoad dissolutionem matrimonii consummati.

*Ad 4º. R. D. Ant.* Dicit hoc assertive *N.* velut per modum objectionis aut dubitationis *C.* Inquit enim: *etsi possit non inconsulte videri, matrimonium inter legitimas personas, etc.* quorum sensus est: *etsi videri ita possit, quod matrimonium tale nullo casu nisi revelationis divinæ solvi possit; quæ non sunt assertio et decisio Pontificis: sed deinde assertive et decisive loquitur: Nos tamen nolentes a Prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui responderunt licere.*

## ARTICULUS V.

## UTRUM SUMMUS PONTIFEX DISPENSARE POSSIT IN MATRIMONIO RATO?

408. *Dico.* Potest summus Pontifex, dum gravis causa exigit, dispensare in matrimonio rato. Ita quidem Canonistæ omnes, ad summum uno altero excepto, et plurimi hodie Theologi.

*Prob. I.* Certum est, per professionem religiosam solvi matrimonium ratum; ergo etiam solvi potest dispensatione Pontificis. *Prob. Cons.* Quia professionem religiosam habere hanc vim ex solo jure ecclesiastico longe probabilius est, cum nulla efficax ratio contra afferri possit ab adversariis, ut patet ex responsionibus ad fundamenta eorum art. præc. ergo et dispensare potest Pontifex in matrimonio rato: quod enim potest Pontifex ex potestate a Deo accepta per legem universalem, etiam per sententiam ex justa causa, sive dispensationem haud dubie poterit. *Conf.* Potestas generalis a Christo concessa Pontifici non debet restringi, nisi ubi eam jus divinum restringat; sed debet extendi, quantum potest, et exigit recta Ecclesiæ gubernatio, ac animarum bonum; ergo et ad dissolutionem matrimonii rati gravi ex causa, sicut ad dispensationem in votis.

*Prob. II.* Ex factis Pontificum, qui dispensarunt. Nam de Martino V., Eugenio IV. testatur S. Anton. 3. p. c. 21. De Julio III., Paulo III., Pio IV., Navarrus in Man. c. 22. De Gregorio XIII. Cardin. Caraffa in libris S. Congreg. Conc., in quibus plura Pontificum posteriorum Sixti V., Clementis VIII.,



Pauli V., Urbani VIII. exempla referuntur; hos vero omnes in re tam gravi temere egisse ac esse hallucinatos asserere summe temerarium est.

*Prob. III.* Ex Auctorit. Ita tenendum esse declaravit die 16. Jul. 1599. Congregatio particularis, teste Pignat. tom. 1. Cons. 148. deputata a Clemente VII. cui interfuerunt Cardinales Asculanus, Burghesius, Blanchetus, Mantica, Vicecomes, Bellarmin. etc., Auditores Rotæ, selectique Canonistæ et Theologi. Idem censuit sæpissime, teste Pignat. cit. S. Congr. Concil. in una Carpentoratensi 25. Jan. 1608., in Seguntina 17. Septemb. 1609., Ferrariensi 20. Maii 1613., Augustana 16. Maii 1616. Adde decisiones Rotæ cit. ab eodem.

409. *Obj. I.* At ALEXANDER III. in append. Concil. Lateran. p. VII. c. 8. ac relatus c. *Licet*, de Spons. duor., Innoc. III. c. *Ex parte*, de conv. conj., Nicol. I. can. *Hi, qui Matrimonium*, caus. 32. q. 7. hanc potestatem in se nec agnoverunt, nec admiserunt; ergo. Ita P. Billuart.

*Conf. 1.* Pontifices a nobis relati secuti sunt sententiam, quam reputabant probabiliorē; sed ex Pontificum facto non necessario statuitur jus certum, seu ut dicit Dominicus Soto in 4. dist. 27. q. 1. a. 4. *factum Pontificium non facit articulum fidei*. Sic enim et ipse Alexand. III. loc. cit. c. 8. 17. 18. ait, nonnullos ex suis prædecessoribus censuisse matrimonium ratum dirimi per subsequens consummatum, cujus ipse contrarium resolvit; non enim dicuntur infallibiles Pontifices, nisi dum loquuntur ex Cathedra proponendo aliquod dogma toti Ecclesiæ credendum.

*Conf. 2.* Ante Martinum V. qui obiit an. 1431. non legitur ullum Pontificem id attentasse; ergo signum est, quod hanc potestatem in se non agnoverint. Quibus addi potest, quod Innocent. VIII. cum supplicaretur ipsi pro matrimonii nondum consummati dispensatione, responderit, se id non posse.

*R. N. Ant.* Quæsitum enim fuerat ab Alexandro simpliciter, liceretne post contractum et nondum consummatum matrimonium uxori nubere alii? sique nupsisset, jamque esset cognita; an nihilominus separanda, et reddenda marito priori? Respondit Pontifex *non licere*, et merito; neque enim hoc *sine gravi causa, et præterea dispensatione Pontificis* unquam licuit; esto enim, valuisse olim ex more particularium quarundam Ecclesiarum matrimonium secundum, si esset consummatum; non ideo tamen licitum fuit. Quod vero Pontifex potestatem non habeat, si gravis causa exigat, dispensandi, ne verbulo exprimit. Ad Innocentium III. R. ut art. præc. ad obj. 4. Nicolaus I. can. cit. de matrimonio consummato intelligendus est, eo quod censeatur matrimonium ordinarie consummari.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* R. 1<sup>o</sup>. Ergo fatentibus adversariis, tot Pontificum testimonio, sententia nostra probabilior est; utrum vero privatus quis opinionem suam oppositam nihilominus contra tot altiora judicia recte probabiliorē appellet, qui volet, facile æstimabit; præsertim cum Pontifices præstantissimorum virorum adhererent consilia.

R. 2<sup>o</sup>. Nos per relata Pontificum facta non intendere sententiæ nostræ conciliare certitudinem fidei, ex hac ipsa ratione, quod nunquam SS. Pontifices hanc potestatem suam proposuerint ceu dogma aliquod toti Ecclesiæ credendum; unde dicta illa nos non stringunt; sed hoc duntaxat exigimus,

et jure: sententiæ nostræ saltem multo majorem probabilitatem competere; cum SS. Patres in re tanti momenti simile quid non attentassent; nisi hanc potestatem sibi, si non certo, saltem probabilissime competere cognovissent; tum ideo, quod ita non unus duntaxat Pontifex, sed plures; nec inconsulto, sed adhibitis semper doctissimis viris judicant; atque ita sæpissime et uniformiter censuerit S. Congr. Conc., etc. Tot vero Pontifices post tot consultationes Doctorum, etc. tamen non attigisse, quid juris ipsis competeret asserere, nobis videtur, ut phrasi mansueta utar, plus æquo dictum esse. Adde, quod adversarii nullum Pontificem assignare possint, qui clare negasset, hanc sibi potestatem competere, sed exempla aliorum, quale ad summum est illud Nicolai I., mere negativa sunt; igitur tot Pontificum in matrimonio rato dispensantium haud dubie incomparabiliter plus valere debent; sicut, ut inquit P. Pichler hic, regulariter duo testes pro affirmativa deponentes plus probant, quam 100. mere negativa.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* R. N. *Ant.* Nam S. Gregorium VII. qui tribus integris seculis, et ultra dimidium vixit ante Martinum V. dispensasse in matrimonio rato, testatur Baronius ad an. 1074. Ad illud quod additur de Innocentio VIII.

R. 1<sup>o</sup>. Nihil tale ullibi authentice reperiri; solum ita refertur ab Abb. in c. *Ex publico*; unde supposita veritate facti.

R. 2<sup>o</sup>. *D.* Dixit se non posse ex defectu potestatis suæ, dum gravis causa exigit *N.* ex defectu sufficientis causæ *C.* Nam facere id solum posse dicimur, quod a nobis fieri juste, honesteque potest.

410. *Obj. II.* Matth. 19. generaliter dicitur: *quod Deus conjunxit, homo non separet*; ergo.

*R. D. Ant.* Homo qua homo præcise, sive potestate pure humana *C.* ut Vicarius Christi potestate ab eo, sicque divinitus accepta *N.* Sic vero matrimonium potius a Deo per hominem solvitur; veluti fit, dum summus Pontifex dispensat in votis.

*Nec inde inferas*: ergo et pariter in matrimonio consummato dispensare poterit.

*R. N. illatum.* Hanc enim potestatem non esse concessam Pontifici, vel Ecclesiæ, constat ex hujus praxi; quia nunquam hanc potestatem in se agnovit; licet urgentes sæpe causæ suadere potuissent hanc dispensationem in consummato. Et ratio est, quia per solam consummationem fiunt vere una caro conjuges, quæ dividi amplius non potest, et solum matrimonium consummatum significat perfecte insolubilem unionem Christi cum Ecclesia; non ratum. Item de consummato esse intelligendum illud Matth. 19. *erunt duo in carne una*, tradit Alexander III. c. *Ex publico*, de conv. conj. et alii.

411. *Obj. III.* Si summus Pontifex dispensare posset in matrimonio rato fidelium; etiam in eodem respectu infidelium sibi subditorum possent gentiles principes; quia circa contractus, cujusmodi est matrimonium infidelium ante consummationem, non minus possunt, quam Pontifex circa contractus fidelium.

*R. N. parit.* Nam principes gentiles in subditos suos aliam potestatem non



habent, quam mere humanam; dum vero Pontifex dispensat in matrimonio rato, potestate non humana, sed divina utitur a Christo concessa.

412. *Obj. IV. S.* Pontifex nequit dispensare in jure naturali et divino, ex communi sententia: atqui etiam matrimonium ratum jure divino et naturali insolubile est.

*Conf.* Matrimonium ratum est vere sacramentum, et hujus essentia est, ut sit perpetuum et insolubile: sed Pontifex non obstante sua generali potestate mutare essentiam sacramenti non potest; ergo.

*R. C. Maj. D. min.* Est insolubile jure divino et naturali absolute et pro omni casu *N.* non absolute, nec pro omni casu *C.* Diximus supra art. præc. quod jure divino habeat insolubilitatem non absolutam, sed conditionatam; nisi dissolutionem ejus justa causa suadeat; ex hac vero posse illud potestate a Christo accepta Pontificem solvere, hactenus probavimus. Jus vero naturale pro hoc casu, pro quo Christus facultatem dabit, nunquam dissolutionem prohibuit; sive casus hic nunquam fuit objectum vel materia legis naturalis prohibentis. Deinde retorqueo in votis, in quibus dicitur dispensare Pontifex, licet obligatio voti juris divini et naturalis sit.

*Ad Conf. R. N. suppos. min.* Pontifex enim tunc non mutat essentiam sacramenti; sed tantum tollit vinculum, quod est effectus, non sacramentum; effectus vero non est necessario inaufertibilis, vel inamissibilis. Respondent etiam alii, Pontificem directe irritare contractum, scilicet ut in vinculo perseverantem, quo sublato ratio sacramenti in illo fundata, indirecte definit. Deinde quod additur in *Majore*, essentiam sacramenti esse, ut sit perpetuum et insolubile, *N.* simpliciter in matrimonio rato tantum; quia alias nec ob professionem religiosam solvi hoc matrimonium posset. Et ratio est, quia deest perfecta significatio unionis Christi cum Ecclesia insolubilis; cum matrimonium ratum solum significet conjunctionem Christi per charitatem cum anima justi, quæ conjunctio solvi potest.

413. *Obj. V.* Matrimonium ratum juxta communem differt a consummato solum accidentaliter, non essentialiter; ergo vel in utroque poterit dispensare Pontifex, vel in neutro poterit: atqui falsum consequens quoad primam partem.

*R. 1º.* Si argumentum hoc aliquid probaret, sequeretur, neque per professionem religiosam dissolvi matrimonium ratum.

*R. 2º. N. seq.* Quia solubilitas non provenit ex natura rei, sed ex sola voluntate Christi.

*R. 3º. D. Maj.* Differt tamen sicut integraliter imperfectum a sic perfecto *C.* neque sic differt *N.* Illa autem integrali perfectione per consummationem significat perfecte unionem Christi cum Ecclesia perpetuam; non vero sine consummatione.

## CAPUT VI.

## DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

414. Impedimenti nomine aliquid præexistens indicatur, quod matrimonium aut invalidum, aut illicitum reddit. Impedimenta hæc duplicis sunt generis: *Dirimentia*, quæ, ne matrimonium *valide* contrahatur, faciunt. *Impedientia* tantum, quæ etiam prohibentia dicuntur, quæ matrimonium quidem *illicitum* reddunt, non tamen invalidum. Nos hac in materia, quæ plurimam partem tum Theologiæ moralis, tum juris canonici forum respicit, eas quæstiones delibabimus, quæ fori Theologiæ scholastico-dogmaticæ magis propriæ sunt; proinde inquiremus 1º. penes quem sit potestas statuendi impedimenta matrimonii? 2º. Utrum hæretici nostri teneantur etiamnum impedimentis introductis solo jure ecclesiastico? Tum demum 3º. brevem, quantum huc pertinet, impedimentorum syllogem addituri.

## ARTICULUS I.

## PENES QUEM SIT POTESTAS STATUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONII?

415. Nullis legibus ecclesiasticis impediri posse matrimonia pertinaciter Luthero visum est; contra Catholici post Conc. Tridentini Sess. 24. can. 4. definitivam sententiam, nunc omnes hanc potestatem reverentur in Ecclesia; tametsi ante Tridentinum non pauci dubitarint, sitne hominum ulli ea potestas a Christo concessa? Imo ex ipsis laudati Concilii Patribus 40. omnino Episcopi, alique Doctores fuere, qui initio putarent, non esse hanc potestatem in Ecclesia; eo quod, ut ipsis videbatur, Ecclesia quoad sacramentorum materiam ac formam immutare quid æque parum posset, quam sacramenta aut nova concedere, aut tollere antiqua.

Post Tridentinum Doctores catholici in eo duntaxat discrepant, penes quem in Ecclesia ea potestas resideat? An privative penes magistratum ecclesiasticum, et quisnam eo nomine intelligi debeat? An etiam penes principes seculares, saltem quoad jus, quod ipsis innatum dicitur, valorem contractuum certis legibus definiendi; tametsi hoc jure suo cesserint sponte quoad matrimonii contractum, juris illius exercitium committentes Ecclesiæ; quæ est Petri Soto sententia, quem sequitur Honorat. Tournely, ac quidam alii Doctores Galli. Contra soli Pontifici, ac Ecclesiæ sive Concilio universali potestatem hanc convenisse semper, et esse propriam, Bellarminus et Vasquez contendunt, quibuscum sentit communior Theologorum et Canonistarum pars. Has inter duas sententias plane singularis est illa Launoi Doctoris Sorbonici opinio, qui Lib. de regia in matrimonium potestate, ut potestatem hanc principibus secularibus vindicaret, neve offedere